

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ, ET S. LUCÆ Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis vigesimâ-secundâ mensis Februarii, anno Domini M. DCC. LIII.

M. CLAUDIO-JOSEPHO GENTIL, Doctore Medico, Præside.

An à Semine, partium robur.

I.



TESTES inter & solidas corporis partes viget consensus quidam; harmonia singularis : id observarunt Veteres & Neoterici : quibus autem legibus fœdus hoc sancitum est? Certant, & hanc circa litem duplex est sententia : alii è solidis ad testes, dum alii è testibus ad solida derivari societatis hujus vincula contendunt. Veteres priorem sententiam amplexi, ab humoribus, peractâ nutritione, accretioneque partium, residuis semen fingi autumabant; hinc, in explicando, semen inter atque corporis partes remotissimas commercio, non ancipites hærebant; dum

pilos barbamque ad eandem, ut & ſemen, revocarent originem; ortus & diſceſſus eorum, ſolidarum partium ſtatum, videbant ſemini concordes: ſed deflectebant à veritate, & pro cauſâ habebant effectum: ſi res ita ageretur, ſemine deficiente, pilorum ut & barbæ eſſet amplior luxuries, ſemine, ſymbolam ſuam in eorum proventum refundente.

Inter primarios humani corporis liquores jure recipitur ſemen; incipit ſecretio ejus, ubi corpore jam ferè adepto incrementi ἀκμὴν, fit minus ſucci nutritii diſpendium; arteriæ ſpermaticæ ſanguinem ſecretioni huic dicatum vehunt; non minores, poſt multas diviſiones, adeunt Teſtes, quos arteriarum diviſiones meritò habueris; in dædaleis teſtium anfractibus, labore longo, moleque multâ ſeparatur genitalis liquor, ferendus inde ad veſiculas ſeminales; aggeritur ſervaturque in his cryptis, ad partem poſticam veſicæ appoſitis. Cui placet vita longa, cum robore ſanâque mente, credet hunc liquorem eſſe *oleum vitæ*, quod *in ſui habitaculo ſervabit ſapiens, dum imprudens diſſipabit illud.* Seminis pars generationis operi dicatur, ne verò omne putes impendendum, aliter errorem tui ipſius detrimento lues ociùs. Ut vides à cerebro vitam & ſenſum in omnes partes, ſic à teſtibus robur diffundi credas.

I I.

CORPUS ſolidis & fluidis conſtat partibus quæ duello inter ſe luctantur continuo; vincentibus fluidis, imparia extenduntur ſolida, elongantur, & durat elongatio ſive incrementum uſque dum parem oppugnantibus objiciant renitentiam, æquo marte tum dimicatur utrinque; qui ſtatus rerum noſtrarum ſi longùm perſeveraret, tardior ingrueret mortalibus fati neceſſitas; ſed quæ priùs victa ceſſerant, ſolidis deinde redit victoria, reſiſtunt nimiâ vi, flectique indocilia rigidam mortem paulatim arceſſunt.

Ex his intelligitur, mollium vaſculorum congeries, fœtus, quàm facilè capiat incrementum: ſolida inter & fluida æquilibrato jure, corporis accretio facta eſt. Quod pro regionibus, pro temperamentis variare admodum experimur. Nihil tunc agendum ſupereſt? Minimè: opus pendet interruptum, habes corpus ingens & procerum, magnos membrorum artus, lacertos ingentes, latum thoracem, os vultumque viri; fronti nulla fides, molem informem demiraris, niſi ſubtilis mobiliſque materies ſe ſe magno huic corpori permiſceat, influxuque cujuſdam ſpiritûs animaverit. Hæc niſi virtus accedat, quem credis marem eſſe, infirmus erit, imbecillus, iners, ut corpore ſic & mente minor: fibræ malè laxæ vix inter ſe cohærent, lentæ, languidæ mollitie diffluunt, deeſt tonus & *ſenſibilitas*, animi & corporis muniis obeundis omninò impares. Vis lætè fortiterque vitâ perfrui? Stringendæ, coadunandæ, ſtimulandæ fibræ, addendum robur & vis elateris. Unde hæc feres? niſi à liquore, qui donetur partibus ſpirituoſis, penetrantibus, vigeat mobilitate, qui gravem molem ſuccutere poſſit, & corporis artus pigros excitare actuoſâ ἐνεργείᾳ. Neque has putes à lymphâ partes ſuſtineri poſſe, quæ ſimplex, inerti ſeſe promovet gradu, neque calidis, neque ſpirituoſis emicat partibus. Fortè exiſtimaveris à nerveo ſucco præſtari lymphæ dotes requiſitas; ſed exemplo ſuo id refellunt Eunuchi, qui, ſi hæ cauſæ ſufficerent, non differrent à viris.

I I I.

QUÆ requiruntur partium robori conſtituendo neceſſaria, ſperes à ſemine; nec vana te luſerit ſpes. Liquor eſt ſummè mobilis, calens, plenus aurâ vitali, ubique diffuſus; continuâ ſecretione paratus, parcè tamen & moderatè excer-

nendus; teſtibus ſeparatus, refluit in receptaculum ubi facit moram; pars una vovetur generationi, dum altera nec minor, reſorpta relegit circulationis vias. Ubique in corpore intùs & extùs vaſa adſunt inhalantia, ut exhalantia: ſic pleni rimarum, dum hinc diffluimus, illinc per alias rimas non nihil reficimur. Eadem mechanicâ, aliena licet corpori, reſorbetur aqua in abdomine effuſa. Ita eſt de ſemine: veſiculæ quæ illud continent, ſcatent vaſculis, porulis, ut & nervorum infinitis propaginibus; quæ omnia oſcula dum hiare amant, fluidi ſtagnantis hauriunt partem, devehunt ulteriùs, & eum fibris ultimis, mobilem ſpirituoſumque liquorem deferendo, robur, tonum, *ſenſibilitatem* communicant. Partes duriſſimæ etiam poſt mortem, odorem viroſum & ſpermaticum adhuc olent; ſi enim oſſa duo acceperis, & alterum alteri invicem alliſeris, tibi ſpirabunt ſeminis odorem, qui odor naſum veterum non fugit. Reluctaris adhuc? ſuadeant convincantque effectus, quos alteri fluido, non ſine injuriâ ſemini allatâ, aſcribas. Quemlibet reſpice, priuſquàm pubertatis ſignis gaudeat: pulſus debilis erat & mobilis, fluida mitia, hæmorrhagiæ non infrequentes, morbi comitiales, cutis madida & laxa, vox tenuis & feminea, animi ut corporis vires invalidæ: tangit tandem pubertatis limen: intra paucos menſes puer quantum mutatur ab ipſo! jam jam erupturum tumultuatur ſemen, quot mala, quot procellæ ingruunt tunc ſub portum! omnes partes in hanc actionem conſpirant, laborant, ægrotant uſque dum evolvantur prima ſeminis elementa; tum placatur tumultus omnis; qui puer mox erat, ſalutes hominem, exuviis puerilibus poſitis novus, marem induiſſe exultat, vertitur omnis in melius: organicæ partes vegetiores, alacriores, vivaciores, pulſus fortior, grandior reſpiratio, facilior digeſtio, tranſpiratio liberior: virtus nova pectori, nova vis & ignota apponitur corpori. Imò fibræ cerebri tonum novum recipiunt; tunc digniora movent: quæ amabat heri, pernix hodie relinquere, & ut virile corpus, animum virilem induit. Quæ fiunt intùs, brevì ſe produnt mutationes: vocis illius fractæ & citharistriæ capit locum maſcula, glabræ leveſque prius genæ horrent nunc pilis decentibus, è capſulis cartilageneis erumpunt villi qui axillam pubemque protegunt, & fugam maturant morbi omnes qui oriebantur à vappidioribus placidioribuſque humoribus, aut à nimiâ fibrarum debilitate, Nonne hæc omnia teſtantur reſorptionem ſeminis, quo, diſperſæ priùs, colliguntur, coadunantur, firmantur fibræ; propulſæ tunc nervorum extremitates effingunt pilos, quibus decorantur partes, quæ aliter nunquam effloruiſſent. Vides quare caſtratis cervis non redeant cornua, decidant cæteris, cùm incenſi veneris œſtro, ingentem ſeminis profluvium patiuntur, cur denique, furore extincto, renaſcantur uberiùs. Quid faciat præſens in corpore ſemen, patet; fugerit autem è corpore; quid ſimus, quo recidamus tunc, dum modo noſtri non pudeat nos, perpendamus.

IV.

EXSICCATUR ſeminis vena, vel quia benigna parum id natura negavit: ita frigidis, *maleficiatis*, ſpadonibus deeſt; vel quia nobilia organa per morbum aut ferrum funerata ſunt: ita ſunt Eunuchi caſtratique. Illi, infirmi, cauſarii, pituitoſi, imbelles, languidi, totum ipſis corpus ſcatet ſeroſis humoribus, & dum fibræ tum ſenſationis, tum motûs inſtrumenta *ſenſibilitate* carent, ſtipites ſtant immobiles, nullâ re objectâ exciti. Hi verò plus minuſve dolent, pro tempore quo inſtituta fuit operatio, pro cauſis *antecedentibus*, pro temperamentis: ſi facta fuerit operatio ante pubertatem, vel priuſquàm ſufficiens facta fuerit ſeminis reſorptio, totâ vitâ manent imperfecti, nec fæminæ, nec viri, utriuſque ſexûs vitiis mulctati, neutriûs virtutibus adjuti, molles, ignavi, turpes, laboris impatientes ſunt, quibus mala mens ſubeſt, malus animus omnibus peroſus, omnibus fugiendus; & Romani à foro, Chriſtiani ab aris arcent religioſiſſimè: quibus datur beatiorem

ſortem ſibi congratulari, caveant ne munera naturæ invertentes, vitæ ſuæ conditionem deteriorem faciant; ſin minùs, ipſorum cervicibus mala impendent innumerabilia. Illis ſtomachus debilitatur, vultus palleſcit, viſus fit obſcurus, languent, relaxantur nervi, titubant artus, dolent articuli, fluxiones promoventur, coctio imminuitur, excrementa congeruntur, honos capitis ut & vultûs decidit brevi, ungues liveſcunt, frons juvenilis rugoſa & hiſpida, vitalis facultas languida, intellectus hebes, infida memoria, vires fluxæ, exſolutæ, tandem partes organicæ omnes quæ præſente ſemine vigebant, abſente, nullæ ſunt; ex hoc fluido accedebat ad ſolida robur, vis, elater, ſanitas; eo decedente, cuncta ſimul bona decedent.

V.

EX noſtrâ hâc theſi fluit explicatio multorum phænomenôn pathologicorum; non fugit quare malè affecto ſemine ſolidæ partes luant præprimis pœnas, malumque in oſſa cartilagineſque celerrimè proſerpat, dum molles partes relinquit intactas. Sic videmus in Syphilide, cum labes ingens jam oſſibus illata ſit, vix mutationem aliquam in viſceribus deprehendi. Patet itidem cur parentes malè ſani, ſemen iners ſortiti, educant vitioſiores fœtus, quorum oſſa & cartilagines patrum culpas incuſant. Tandem, quantâ fundi ſui calamitate venerem quærant infirmi, debiles, vulnerati, dum excernunt temerè, quod meliùs ſuique commodo cederet in robur, vel reparationem corporis. Necquicquam concluſionibus noſtris officit, cruda viridiſque ſenectus, juvenum viribus & robore gaudens, eos enim ſenes interroga, & cognoſces rariùs cautèque ſub vexillo veneris militaſſe: præterea ne credas cum tentigine venereâ, abire ſecretionem ſeminis, quædam ſecernitur quantitas, ſed reſorbenda. Nec magis eruunt propoſitionem animalia quæ in monſtrorum claſſem reponunt *Naturaliſtæ*. Hybridæ enim, parentibus pejores, familiæ primi & ultimi ſunt; genitalia propendent, ſed pondus inutile & ſine honore, dum licet orgaſmum experiantur, ſemen profluat, fiat copulatio, operantur nihil. Præterea non mirum eſſet, ſi fortè patribus non inferiores, imò ſuperiores valerent: ſpermaticis enim organis donantur, canale deferenti; veſiculis ſeminalibus, ſeparatur ſemen; infecundum licet, utile reſorberi poteſt & fœcundi ſeminis effectus edere; ſi cauſam quæras ſterilitatis animalium optimè *conformatorum*, à quibus, ſi genitalia reſpicias, ſperabis prolem; non licet invenire, niſi in decreto Dei qui eaſdem in orbe ſervari, multiplicari ſpecies voluit, neque confundi quas creavit.

Ergo à Semine, partium robur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Joannes-Franciſcus Paris.

M. Ludovicus-Gabriel Dupré.

M. Joannes-Baptiſta-Thomas Martinenq, Ex-Decanus & Academiæ Cenſor.

M. Dionyſius-Claudius Doulcet.

M. Antonius Petit, Chirurgiæ & Artis Obſtetriciæ Profeſſor.

M. Franciſcus Pouſſe, Eques.

M. Bartholomæus-Tuſſanus Le Clerc, Medicus Regis ordinarius.

M. Stephanus Pourfour du Petit.

M. Camillus Falconet, ſalubris Conſilii Regii Socius & è Regiâ Numiſmatum Academiâ.

Proponebat Pariſiis HENRICUS-JACOBUS MACQUART, Remus; Doctor Medicus Remenſis, nec non Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Pariſienſis Baccalaureus, Theſeos Author, A. R. S. H. 1753, A SEXTA AD MERIDIEM.

Typis Viduæ QUILLAU, Univerſitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1753.